DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA DE DIAGNOSI, ...

Lorenzo Friz

DISSERTATIO
Inauguralis medico-practica

DE

DIAGNOSI, DIFFERENTIIS ET MEDELA MORBI ENCEPHALI QUI EXITU APOPLEXIÆ DESINIT

QUAM

IN ANTIQUISS. C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD LAUREAM MEDICAM

RITE ASSEQUENDAM

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

LAURENTIUS FRIZ

FOROJULIENSIS

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLIII.

OPTIMO PATRI

AMORIS OBSEQUII AC GRATI ANIMI

CAUSA

HOC TENUE MEDICINÆ CONAMEN

DEVOTISSIME

SACRAT

HUMILLIMUS FILIUS

PRÆFATIO

Academico muneri satisfacturo paucula haecce de *Apoplexia* conscribere placuit, quae quidem non propria suggessit experientia, sed medicorum celebrium scripta institutionesque edocuere. Levia esse atque manca et incompleta quae collegi scio: ast reminiscatur juvenem, qui modo scholam deseruit, neonatum esse in mundo scientiarum vernice illinitum. Quapropter, lector benevole! dissertatiunculam hilari excipias vultu, iterum iterumque rogo — Vale.

Quibus sanis dolores de repente fiunt in capite, et statim muti evadunt, et stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris eos prehenderit.
HIPPOCRATES *Aphoris.* 5. sect *VI.*

DEFINITIO

Apoplexia (ἀποπληξία ex ἀπὸ et πλήσσω ferio, percutio) — Hippocretis aphonia, — Celsi nervorum resolutio, — Lommii morbus attonitus, — Molinari assideratio, percussio, — aliorum sanguinis ictus, accidens etc. illud systematis nervosi statum designat, qui repentina sensuum, tum externorum tum internorum, motuumque a voluntate pendentium abolitione sese manifestat, superstite cordis arteriarumque motu respirationeque, sed interdum ita brevi, ut fere deficere videatur.

Haec vero forma morbosa distingui debet a somno profundissimo, quo cum magnam offert analogiam quoad conscientiae abolitionem et paralyticam musculorum voluntariorum relaxationem; est per initium repentinum et excitationem per stimulos impossibilem facile distinguenda erit: a caro, ceu somno profundo, morboso, placido, sine stertore differt, quod carotici obscure moveant membra, ac per fortissima tamen incitamenta, utut difficulter, excitari

possint; est carus igitur, teste Boerhaave, apoplexia minoris gradus. Epilepsiam spasmi clonici distinguunt, pollicum retractio, aura epileptica, quibus apoplexia caret. Catalepsiam cerea musculorum flexibilitas, absentia paralyseos distinctam reddunt. Ebrietas summa manifestatur usu spirituosorum praegresso, halitu oris exinde redolente, quin imo ad apoplexiam propius accedit; in quam saepissime transit. Differentia tandem a syncope et asphyxia desumitur ex defectu pulsus et respiratione vel exigua vel penitus cessante.

NOSOGRAPHIA.

Quamvis non semper, persaepe tamen prodromi graviaque symptomata nonnunquam aliquot horis, nonnunquam et mensibus apoplexiam praecedunt, quae ut plurimum congestos versus caput humores designant, ideoque praeprimis apoplexiae sic dictae sanguineae conveniunt, desiderantur vero frequenter in nervosa, et sunt: vertigo, capitis obrutio, magna in somnum proclivitas, qui vero inquietus, dentium stridore somnisque turbatur terrificis; aurium tinnitus atque susurrus; alacritas functionum sensorii organorumque huic inservientium imminuta vel et pro tempore penitus deleta, rerum oblivio; loquela tarda aegrius intelligenda; dedolatio, lassitudo; nausea vomituritio et ipse vomitus; facies rubra, inflata, labia livida; carotides arteriaeque temporales vehementer vibrantes; pulsus plenus, durus sed tardus.

Rarius prodromi si nervosa instet apoplexia observantur; quae ab incipiente systematis nervosi statu paralytico dependet, uti essent: labiorum tremor, involuntaria masticatio, lingua immobilis, loquela balbutiens, palpebrae superioris prolapsus, oculorum rotatio, contractio pupillae cum sensu stuporis aut formicationis in artubus et pulsu duro, contracto, inaequali.

Quibus praegressis ad altum usque gradum elatis apoplecticus exsurgit insultus. Adparet tunc capitis dolor gravativus, pulsatorius calorque vitalis adauctus, vibratio carotidum, visus hebes, amblyopia, imo amaurosis, myodesopsia; aurium syrigmus, otalgia et nonnunquam baryecoia subitanea; motus linguae difficilior evadit, vox alienatur, deglutitio modo concessa, modo impedita, respiratio dyspnoica, stertorosa, tarda, profunda; abdomen indolens, vomituritiones, vomitus materiae viridescentis. Qui ipso hoc morbo prosternuntur, hominis profunde dormientis stertentisque imaginem exhibent, membris resolutis, ore hiante spumam emittente, oculis modo apertis, languidis, convulsis, modo penitus clausis, modo ex orbita protrusis ad lucem insensibilibus, pupilla immobili; nullum auribus percipiunt sonum, nec olfactus nec gustus munera fungitur; facie quandoque turgida aliquandiu sanorum similis, quandoque cito pallore suffusa, labia oris livida, lingua tumida, interdum ex ore protrusa, paralytica, deglutitio non concessa, pulsus plenus, durus, tardus. Aeger sub hisce symptomatibus profundissimo somno sopitus, alvo urinaque invite secedentibus, universo corpore sudore viscido, gelidoque suffusus, frigore marmoreo extremitatum trunci adinstar immobilis jacet. Haec descriptio refert imaginem apoplexiae perfectae, plenae, exquisitae, quae, dum morbi symptomata subito evolvuntur, ita ut functiones vitae animalis cito extinguantur, perdurante adhuc aliquo tempore respiratione et circulatione, sed et his brevi ex integro silentibus, ut mors illico subsequatur, vocatur apoplexia *fulminans*. Minor hujus morbi gradus graecis παραποπληξία nominatus, prae se fert ex symptomatibus enumeratis mitiora.

AETIOLOGIA.

Ad momenta proëgumena seu disponentia referri merentur: — Peculiaris corporis constitutio, habitus sic dictus

**

apoplecticus, jure quasi hereditario saepe propagandus, excellens, capite magno, collo brevi crassoque, uno alterave vertebra destituto, ita ut caput trunco absque collo impositum videatur, corpore robusto, toroso, obeso, humeris latis, statura breviori, haematosi alacriori, temperamento sanguineo aut cholerico. — Aetas ab anno 40 usque ad 60 obnoxia forsan ex eo quod in aetate senili varia vitia organica ad provocandam apoplexiam apta efformentur, ipsumque systema vasorum majores adeptum sit rigiditates, qua de causa congestionibus exortis, hae ipsae magis ad cerebri vasa, utpote majores capacitatem offerentia, diriguntur. — Sexus virilis, quum in sexu sequiori per fluxum menstruum congestiones versus encephalon minuantur. — Diversa vitia organica, colli, pectoris atque abdominis liberum sanguinis circuitum impedientia ejusque torrentem versus caput dirigentia, id quod jam pulchre notavit Hippocrates. — Potentiae omnes, quae plethoram universalem vel localem in cerebri vasculis producere aut sustinere valent, ut hinc: cibi valde nutrientes, copia nimia ingesti, potulentorum spirituosorum abusus, vita deses, amor physicus aetate provectiore, somnus protractus aliaque. — Debilitas systematis nervosi, vel hereditaria vel serius ab influxibus quibuscunque nocivis producta, quo pertinent: deprimentia animi pathemata; nimia mentis intentio; passiones hypochondriacae ac hystericae, spasmi omnis generis, epilepsia, mania, fatuitas, melancholia. Nec hic reticendum est, nexum inter causas disponentes et occasionales in apoplexia frequentissime adeo intimum esse, ut eae a se invicem exacte discernere vix concedatur. Potentia enim, quae nunc momentum apoplexiae disponens constituit, ulterius agendo in excitans tandem mutatur, et vice versa sub opposita rerum ratione. Qua de causa plura momentorum vix adductorum sub potentiarum quoque excitantium numero suum inveniunt locum.

Ad causas procatarticas seu excitantia pertinent: singu-

laris aëris atmosphaerici constitutio (scimus jam tempore vernali et autumnali apoplexiam plurimum dominari), auster, boreas vicissim flantes, hiems pluviosa, coelum nubilum, tempus aequinoctii, calor et frigus alternatim et repente variantia, quae in causa sunt, quod quasi epidemice apoplexia grassari videtur. — Potentiae, quae vehementiores versus encephalon congestiones nimiamque systematis sanguiferi expansionem atque orgasmum producunt, uti: labores, exercitia nimia, natatus velox, saltus immodicus, venus furens, nixus validi ad alvum deponendam, fetum sub partu ex utero expellendum at alias functiones organicas subeundas adhibiti; nimia mentis intentio; repentina temperiei vicissituda, balnea frigida intempestiva, insolatio; potulentorum spirituosorum abusus substantiarumque narcoticarum; ira, gaudium, libido; profluviorum sanguinis aut naturalium aut quibus corpus jam adsuevit, catameniorum, haemorrhoidum, epistaxeos suppressio; vestimenta arcte corpus cingentia, collipendia, thoracula, zonae aliaeque potentiae, quae aut sanguinis circuitui obstacula ponant, aut nervorum actionem eorumque cum cerebro commercium modo machanico impedinat. — Systematis sensiferi functionem turbantia, debilitantia, opprimentia, uti morbi spastici, dolorifici, febris nervosa, maligna; virium vitalium debilitas a sanguinis seminisque jactura; animi adfectus deprimentes etc. — Adfectiones metastaticae a suppressione fluxus alicujus normalis aut adsueti, vel a retropulsione exortae exanthematum vel impetiginum. — Diversae adfectiones morbosae in cerebro partibusque adjacentibus vel et in dissitis corporis organis haerentes, quales: ictus, vulnera quacunque ratione capiti inflicta; cerebri commotiones; ossium cranii fracturae; extravasata varia in cerebro, indurationes, scirrhositates, tumores meningum; abnormis conditio cordis et vasorum; pulmonum vitia; ventriculi oppletio nimia, humorum stases in abdomine, polycholia, vermes etc.

Agendi modum inquirens potentiarum diversarum, hunc progignentiues morbum, cito reperies omnes et singulos, vel forinsecus in corpus agant, vel in organismi evolvantur penetralibus, in eo convenire quod actionem centrelem systematis cerebralis perturbando, pervertendo, sufflaminando, rem eo perducant, ut functio haec, sine que vite ne momentum quidam perstare potest, ad extinctionem properat. Lethale hunc effectum diversis imo saepe oppositis modis producere conantur.

1. Aliae enim corporis exhauriunt vires, vitelitatem pessundant, aut habitualem systematis sensiferi stimulum subducunt, aut aliorum organorum, cum cerebro stricto nexu junctorum functionem pervertunt. Et revera sanguinis aliorumve humorum nobilium jacturae, morbi vegetationis processum pervertentes, et deprimentes enimi adfectus tali agunt ratione.

2. Aliae e contra actionem systematis cerebralis libere exercendam praepediunt; quo effectu insigniuntur potentiae illae cerebrum idiopathice comprimentes, extendentes.

3. Sunt et potentiae, quae systematis cerebralis actionem directe pessundant viresque vitales cito exhauriunt, uti venena narcotica fortiora, dosi nimia ingesta, effluvia mephitica.

4. Sunt denique potentiae, quorum agendi ratio mixta est, ut jam unum ponant, jam alterum effectum, juxta circumstantiarum combinationem. Tali pacto agunt iterum narcotica illorum effectu primario, uti etiam effectu illorum secundario.

Quepropter causam apoplexiae proximam probabilius in energia vitali systematis cerebralis impedite, ad imum depressa vel et penitus sublete radicari; non vero in durae matris convulsione, non in substantiae cerebri compressione, non in sublato, quod inter corticem cerebri ejusque medullam,

aut inter haec et alia corporis organa sensui et motui dicata, interest, commercio, non in spastica encephali constrictione, non in retentione humorum acrium, nec in electricitate positiva et negativa in corpore existente compertum est.

DIVISIO

Variae statuuntur ab auctoribus apoplexiae differentiae ac divisiones. Sic Hippocrates apoplexiam dividere consuevit in *fortem* et *levem*, quae reapse divisio, quamvis parum ad diagnosim, ad prognosim tamen plure conferre videtur. — Istius morbi quatuor agnoscit Galenus gradationes, *levissimam*, *levem*, *validam*, *validissimam*; ast vix unquam distincte determinari possunt, quamvis subtilius excogitatae sint. Stark sex assumit apoplexiae species, utpote: *apoplexiam sanguineam*, *apoplexiam ab acrimonia*, *apoplexiam a transpiratione suppressa*, *apoplexiam metastaticam*, *apoplexiam nervosam* et *apoplexiam consensualem seu symptomaticam*. — Sprengel tres statuit species: *apoplexiam nervosam*, *apoplexiam a humorum versus caput congestione*, et *apoplexiam consensualem*. — Recentiorum quidam, dividunt in *apoplexiam cerebralem*, *spinalem* et *abdominalem* pro diverso systematis nervosi foco. — Browni asseclae dividunt in *sthenicam* et *asthenicam*. — Alii in *universalem* et *particularem*; alii in *idiopathicam*, *sympathicam* et *symptomaticam*. —

Divisio reliquis magis usitata est in *humoralem* et *nervosam*, quarum prima duplex est, *sanguinea* nempe seu *calida* et *serosa* seu *frigida*.

1. *Apoplexia humoralis*.

a) *Sanguinea*, *plethorica*, *hypersthenica* accipit nomen a copia sanguinis vasa cerebri nimium urgentis, aut intra ejus cava effusi. Diagnosis ex signis desumitur plethorae verae vel spuriae, congestionis sanguinis versus encephalon, ubi pres-

sio vasorum sanguiferorum et effusio laticis cruenti causa sunt latius sublati commercii inter cerebrum et reliquas corporis partes; caveas tamen, ne ex sola facie pallida conclusionem pronunties, non esse apoplexiam sanguineam, nam non raro in apoplexia cum facie pallida sanguis intra cerebrum effusus est, tumque pallor vitae deficientis effectus fuit, non autem inopiae sanguinis signum.

b) Apoplexia serosa, lymphatica, mucosa, pituitosa ex sero, lympha, vel muco, vel pituita vasa cranii opplente et inundante originem ducit, infestatque temperamentum phlegmaticum, habitum corporis laxum, cachecticum, aetatem senilem. Species haec a recentiorum multis merito jure cum apoplexia sanguinea identica censetur, et ab illa nonnisi ob momentorum disponentium et occasionalium diversitatem discrepans, quum utraque a humorum versus caput congestione dependeat et sub insultu ut plurimum vix a se invicem adcurate discerni possit; in apoplexia serosa saepe saepius omnis desit seri accumulatio, vel in his cerebri partibus serum, in aliis sanguis effusus reperiatur.

2. *Apoplexia nervosa, immaterialis, convulsiva* producitur per immediatam affectionem systematis nervosi; illi obnoxii sunt, qui spasmis abdominis aliquandiu laborant, venenis narcoticis abutuntur; vehementibus subitisque animi pathematibus vexantur. Sub morbi ingressu facies est collapsa, pallida, hippocratica; calor et turgor vitalis ad imum depressus; adspectus cadaverosus, pulsus debilis, parvus, vix percipiendus, intermittens, respiratio fere normalis.

TERMINATIONES

Omnium morborum exitus vel in sanitatem sunt, vel in mortem, vel in morbos tandem secundarios. Apoplexiae transitus in sanitatem, ceteris rarior, tantummodo in mitiori morbi gradu expectandus est et dum suo peculiari modo cri-

tiee solvitur adfectio causalis. Sub prospero hoc eventu organa adfecta paulatim ad normalem revertuntur functionem; redit conscientia, lingua pristinam recuperat mobilitatem, vox et loquela, sicuti movendi facultas in artubus superioribus et tandem in inferioribus redeunt; musculi faciei reliquis plerumque diutius manent inertes. — Morte terminatur frequentius, qui aut sub ipso insultu aegrum cito necat, aut altero, tertio, nono vel decimoquarto ingruit die, quo ultimo in casu phaenomena morbosa, mitigantur quidquam, dein iteram vehementiora facta recrudescunt. Collabitur tunc facies, alienatur physiognomia; prorumpunt sudores frigidi, viscidi in extramitatibus algidis; stipatur rhonchis respiratio; sponte secedunt excrementa, pulsus redditur parvus, frequens, inaequalis, donec mora hancce tristem claudat scenam — Exitus in morbos secundarios, systema nerveum quo focum agnoscunt. Huc spectet proclivitas in recidivas; paraplegia, hemiplegia, glossoplegia, amaurosis, cophosis, anosmia etc, paralysis musculorum faciei, unde lineamenta variis ratione alienantur, os distorquetur; alvus et urina inscio aegro elabuntur propter sphincterum relaxationem; et non solum sensus externi vitiantur, pervertuntur, abolentur, sed non raro extant exempla psyches functionum vario modo turbatarum.

NECROSCOPIA

In hominibus apoplexia peramptis, jam magnae a norma aberrationes in cerebro aliisque corporis partibus observatae fuerunt, jam vero ne minimam mutationem morbosam, pro-uti nimirum morbus ortum suum vel a vitiis organicis vel a dynamicis potius causis duxerit. Praeterea abnormitates nonnullae cadaverum dissectorum non semper apoplexiae causae sunt, aliquando effectum constituunt mortis ipsius. Laesiones sequentes notabantur tamen e pathologis: in capite, exostoses, caries, suturae a se invicem recedentes, me-

ninx cum ossibus cranii cocreta, in vasis meningum corumque finibus polyposae sanguinis concretiones, haec vasa ossificata, rupta, sanguine praeter normam turgentia. Observabantur quoque ulcera, effusiones puris, abscessus varii generis, plexus choroidei tumidi, glandula pinealis mole aucta, indurata, substantia ipsius cerebri modo compactior, durior, modo justo flaccidior. In medulla spinali etiam aderant steatomata, tumores cystici, abscessus, indurationes, sanguis in cavitatem medullae effusus. Has vero abnormitates non tantum ad cerebrum et ejus involucrum restringuntur, sed per totum diffunduntur organismum: deformitates, concretiones thoracis, aneurysma cordis et aortae, interdum ipsa ejus ruptura, polypi, ossificationes valvularum, ventriculi cordis sanguine atro referti, situs abnormis vasorum, concretio pleurae cum pulmonibus et diaphragmate, inflammatio peritonaei, vasorum abdominalium, varices, vena cava a tumoribus compressa, viscerum abdominalium obstructiones, obstipationes.

PROGNOSIS

Venerandus jam Hippocrates apoplexiam referebat ad morbos gravissimos, id quod ex sequentibus illius verbis elucet: *Solvere apoplexiam vehementem quidem impossibile: debilem vero non facile.* Qualiscunque tamen sit prophetia depromenda erit a subjecti conditione, a causarum excitantium rationibus, a symptomatibus benignis vel malignis morbum concomitantibus, a typo, quem forsan tenet, a complicationis et medelae rationibus, ab ipsa apoplexiae specie et natura peculiari. Quemadmodum enim in subjectis juvenilibus, morbis multis non exhaustis, quorum habitus corporis sanguinis congestionibus ad cerebrum minus favet, nec faciliori refluxui impedimenta opponit, temperamenti minus fervidi prognosis, utut non laeta, ceteris ta-

men paribus minus infausta, praeprimis si apoplexia prima vice tanguntur, statuenda erit; ita et individuis sensilibus, valde plethoricis, studiis exhaustis, decrepitis, habitu eminenter apoplectico gaudeotibus, temperamenti fervidi aut phlegmatici, praeprimis dum bis aut saepius jam ejusmodi perpessi sunt insultus, prognosis dubia et tristis ut plorimum veritati magis erit consentanea, quam laeta, si quidem haec rarissime, stantibus his rerum circumstantiis, medici desiderio correspondet. Tandem et ipsarum causarum apoplexiam excitantium cognitio aut ignorantia, facilitas aut difficultas aut impossibilitas eas amovendi prognosin nunc minus nunc magis tristem reddunt. Non minus symptomata concomitantia vehementiora, gravioresque et vix tollendae complicationes, uti: vitia organica, cachexiae e. g. hydrops, peripneumonia notha, tubercula pulmonum, scorbutus, syphilis, vulnera penetrantia graviora et similia prognosim tristem nonnisi reddere possunt. Et ipsa apoplexiae species et, qua gaudet, natura peculiaris, nec non medelae, quae in auxilium trahitur, ratio, magnum exerunt influxum in determinanda prognosi; sicuti enim in apoplexia sanguinea salutis recuperatae casus non adeo raro numerantur, praecipue si congrua et casui speciali adcommodata medela praesto est; ita et in apoplexia serosa nervosaque, dum in vera debilitate radicantur, sub oppositis conditionibus nihil fausti expectandum erit. Sunt tandem et ipsi medici, qui per propriam, quam instituunt, therapiam prognosiu infaustam reddunt, quoniam eorum mentes semper fatali illa debilitatis idea, imitationis scholae residuo, obcaecantur, ita quidem, ut nonnisi a stimulantibus expansivis salutem expectent, quae equidem remedia sine exceptione, sub his conditionibus, pro inefficacissimis declarare minime haesito.

Praecavere insultum res summi erit momenti, nam apoplexia jam penitus avoluta gravissimo semper incedit periculo, et saepissime lethalis evadit. Hinc dispositi vitae regimen exquisitissimum observent, omnesque causas vitent excitantes in aetiologia adlatas, vitent pariter corporis exercitia nimia, pathemata effervescentia; illorum victus sit tenuis, vegetabilis, acidulus, moderatus, non nimis nutriens, potus spirituosi quam maxima restrictione sumantur; alvus sit semper aperta, atmosphaera temperata; calor excedens fugiendus, vestitus, praecipue capitis tegumenta calida vitentur; et quamprimum symptomata suspecta adparent ad venaesectionem, derivantia, refrigerantia confugiatur. — Quod si apoplexia aliquem praeoccuperit, medicus arcessitus primum curare debet, ut corpori aegri quies concedatur; collocetur infelix in dorsum, lecto paululum erectus, conclavi lucido et temperate calido, capite nonnihil elevato, denudato. Omnia quae sanguinis circulum afficere possunt exuantur, solvantur: arceantur stimuli externi, lux, sonus omnesque adstantes superflui. Interea rite perpensis temperamento, aetate, habitu, vitae genere, causa morbi, statu virium, medicus formam morbi, characterem, ejus gradum, et fors alias, quae existere possunt, complicationes definiat, hisque omnibus cognitis citam aptamque adhibeat medendi methodum, quae alia certa evadet juxta adfectionis indolem etc.

a) In apoplexia sanguinea, sanguinis detractio qua remedium efficacissimum primum meretur locum, et ut exoptatum ferat effectum, copia sat larga, ad libram unam alteramve mittatur necesse est. Venae sectio instituenda in brachio resoluto lateri opposito, vel quod praestat ex vena jugulari externa, vel si a revulsione plus speras ex ipso pede; secata fuit a nonnullis ipsa arteria temporalis: ca-

veat tamen medicus ne lethalis syncope aegrum e medio tollat. Quod reiterandas phlebotomias attinet memor esto Celsi sententiae ex praxi deductae: — Si omnia membra resoluta, sanguinis detractio vel occidit vel liberat . . . , post sanguinis autem missionem, si non redit et motus et mens, nihil spei superest. — Attamen ubi prima venae sectio effectum non praestiterit, mox altera instituatur; nec ullum temperamentum, sexum, aetatem, corporis habitum graviditatemque sanguinis missioni abstare jam per se liquet; post hanc adplicentur hirudines temporibus, emissariis Santorini, labiis majoribus pudendae ant ano si a catameniis aut haemorrhoidibus suppressis apoplexia promanaverit; adplicentur et cucurbitulae cruentae ad cervicem. Adhibenda sunt dein epithemata frigida capiti imposita; frigoris enim actione localis orgasmus potius compescitur, humoribus impellentibus obstaculum ponitur, atque per longius tempus adplicato, fervor vitalis in toto moderatur systemate vasorum. Adhibentur linteа nivibus aut glacie imbuta, aut hae implentur vesicae suillae; deficiente autem glacie, fomenta sic dicta Schmukeriana ex aqua, nitro et sale ammoniaco constantia. Juvant quoque sinapismi pedum dorso, clysmata irritantia ex decocto furforum, infuso foliorum sennae cum sale culinari, Glauberi etc. Quamprimum aegri deglotire valent, exhibeatur scopo humores derivandi purgans forte e. g. infusum laxativum cum sale amaro, Glauberi, arcano duplicato; calomel cum jalappa etc., potus nitratus vel acidulus. Sunt qui in casu oppletionis ventriculi per cibos, praemissis venaesectionibus, emeticum exhibent; sunt qui purgantia praeferunt.

b) In apoplexia serosa princeps indicatio est, ulteriorem humorum effusionem in cerebro arcendi, effusa coagulata resolvendi et ad resorptionem perducendi. Omnium primum agitur de venaesectione, quae saepe utilitatem pro-

tulit, nec non de hirudinibus et cucurbitulis cruentis. Maximam in hoc morbo exerunt efficaciam revellentia, pediluvia cum sale et cineribus aut farina seminum sinapis; sinapismi plantis pedum, suris et cervici adpositi; optima autem sunt, quae irritando dolorem inferunt et novum sero exuberanti exitum dant, uti ulcere cantharidum, setacea, fonticuli. Laudantur et remedia solventia et alterantia, systema lymphaticum incitantia uti, praeparata stibii s. g. tartarus emeticus, sulfur auratum antimonii, hydrargyri, praecipue mercurii dulcis, scilla, arnica, gummi ammoniacum etc., omnia in genere, quae serosos humores per alvum et urinam valentius educant.

c) Differentem valde medendi methodum adhibemus in apoplexia nervosa, omnem enim medicus suam impendat attentionem et curam, ut exhaustas et ad extinctionem jam jam properantes vires vitales erigat, sublevet, revocetque. Hinc flores arnicae, radix valerianae, serpentaria virginiana, chenopodium ambrosioides, olea aetherea, ammonia pure liquida, spiritus cornu cervi succinatus, aetheres et spiritus aethereus, praecipue liquor anodynus mineralis Hoffmanni, spiritus nitri dulcis, camphora, castoreum, moschus, flores zinci, phosphorus adhibentur. Si autem deglutitio sublata esset, in remediis externis auxilium quaerendum, hinc capiti fomenta calida ex sic dictis herbis cephalicis, majorana, thymo, serpyllo, rore marino, ex vino, spiritu vini, infuso arnicae cum camphora; porro lotiones frontis, regionis spinae vertebralis, scrobiculi cordis, extremitatum cum aromaticis et spirituosis. — Adhibentur quoque usui externo clysmata stimulantia ex brevi anumeratis medicamentis, quae parciori quantitate injiciantur, ut longius in intestinis contenta effectus excitantes super universum organismum extendere valeant. A recentioribus medicis imprimis commendatur electricitas et galvanismus, ad actionem systematis nervorum depressam excitandam. Sed

hic plerumque vehementia ictus electrici et magnitudo catenae galvanicae calculari nequit, quia aeger absque sensu decumbit; unde saepe hoc remedium praestantissimum in paralysibus, plenariae vitae in nervis abolitionis causa redditur. Quod si tali sub tractamine insultus vis infracta fuerit, non illico a remediis memoratis recedendum, sed usus eorum ad plenariam usque aegri in integrum restitutionem continuandus est. Conveniunt vero sub reconvalescentia ab hocce gravissimo morbo praeprimis nervina tonicis juncta.

Paucula tandem verba circa curam paralyseos proferrem, uti de sequela omnium frequentissima apoplectici insultus. Recentiori aevo admodum laudata fuere contra paralyses sequentia remedia: tincture colocynthidis, ab initio ad guttas decem usque quindecim, serius ad sexaginta et amplius propinata; pulvis aut extractum rhoi toxicodendri a quarta grani parte usque ad grana quinque adscendendo; nux vomica (a celeb prof. Magendie praesertim) et quidem vel in extracto aquoso a greno uno ad quinque, vel resinoso a grano dimidio ad integrum et ultra, vel in tinctura ad guttas decem viginti exhibita, vel praeparatum illius vehementissimum, sic dicta strychnina, quae ab initio a decimasexta unius grani parte ad duodecimam praescribitur, deinde ad octavam paulatim progrediendo, pro una dosi, semel de die ingerenda. Usus vero hujus truculentissimi remedii magnam requirit circumspectionem; tantum in subjectis torpidis, tantum aliis remediis frustra adhibitis, hanc substantiam summe venenatam praebere licet, et quam primum ventriculi dolores, constrictiones et vomituritiones adparent, illico abstinendum, secus vertigo, convulsiones, torpor, paralysis imo contabescentia universalis oritur; caveat ergo medicus ne jure meritoque extimetur potius mortis minister quam naturae sacerdos.

THESES DEFENDENDAE

I.

Philosophiae studium medico maxime necessarium: rationalis medicus simul et philosophus.

II.

Datur apoplexiae species, quae chinam expostulat.

III.

Docimasia pulmonum, licet ad magnum perfectionis gradum evecta, tamen saepe fallit.

IV.

Bacchus hieme pulmonibus, aestate hepati maxime infensus.

V.

Non animi cultura, sed nimis ejus intentio debilitat corpus.

VI.

Pharmaca, quo simpliciora, eo tutiora.

VII.

Sacrum Baptisma hieme in locis frigidis peractum, multorum morborum infantilium fons.

VIII.

Delirium potatorum cum opio adgredi sine discrimine rationi consentaneum non videtur.

IX.

Morsui hominis irati aliquid venefici inesse confirmo.

X.

Medicus non omnes morbos sanare debet, quos sanore in ejus potestate esset.

XI.

Basis rectae therapiae firma est diagnosis.

XII.

Scrofulae et tuberculosis hodiernae vitae rationi praecipuam debent originem.